

Johann Gottlieb Möller Immanuel Kühn


De Seculi III. Scriptoribus Ictis, Medicis, ac Philologis, Et Seculi IV. Scriptoribus Ecclesiasticis, Philosophis, Ictis, ac Medicis; Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus, Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Editio, in Disputatione Philologico-Philosophica, d. XIX. Decembr. A. C. M DC XCVII. In Maximo Athenaei Gedanensis Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda, placide disquiret,

Gedani: Stollius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463328>

Druck Freier  Zugang





B6. 1053^{1-31.}

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

2.

3.

4.

5.

6.

7.

16.

17.

18.

19.

22.

24.



DE
SECVLI III.
SCRIPTORIBUS JCTIS, MEDICIS,
ac PHILOLOGIS;

Et
SECVLI IV.
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,
PHILOSOPHIS, JCTIS, ac MEDICIS;
EX CHRONOLOGICO

ILLVSTRIS VIRI,
HERMANNI CONRINGII,

de *UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,*
ET IUSDEM Q; SCRIPTORIBUS, COMMENTARIO,
NUNC PRIMUM à MSC. A SE EDITO,

in
DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA

d. XIX. Decembr. A. C. M DC XCVII.

IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MODERANTE,

Solemniter instituendâ, placidè disquiret,

PRÆSES

JOH. Gottlieb MOLLERUS,

D. PP. D. & Bibliothecarius.

Respondente

IMMANUELE Kühn/ Colbergâ-Pomerano.

GEDANI,

Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS

GENEROSIS, PER-MAGNIFICIS, MAXIME 2; STRENUIS:
DN. CHRISTIANO SCHROEDERO,
INCLYTÆ CIVITATIS GEDANENSIS PRÆ-CONSULI SE-
NIORI, ET PROTO-SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO,

DN. DANIELI SCHREFF/

DN. CONSTANTINO FRÉDERO,

DN. ANDREÆ BORCKMAN/

LAUDATÆ CIVITATIS CONSULIBUS

ET SCHOLARCHIS DIGNISSIMIS,

PATRIBUS PATRIÆ

DE RE ET PUBLICA, ET LITERARIA

SUMME AC IMMORTALITER MERITIS, ET QUOTIDIE
MERENTIBUS,

BONARUM ARTIUM PATRONIS OPTIMIS,

DOMINIS MÆCENATIBUS ac EVERGETIS

MAXIMIS,

SUBMISSA ANIMI OBSERVANTIA ÆTATEM SUSPICIENDIS,

Publicas hæcæ qualiscunque industriz primitias, vario-
rum memor beneficiorum, & ut Civi hujus Athenæi,
& ut Chori inprimis Symphoiaci Membro, peregrino
licet, mihi collatorum, debitum aliquod & ab ipsâ
injunctum æquitare gratæ mentis specimen exhibitu-
rus, adjecto omnigenæ inter tot tantasque pro pu-
blicâ salute suscipiendas curas prosperitatis voto,
quàm humillimè confecro

INCLUTIORUM NOMINUM

Cliens Submississimus

Immanuel Kühn/

Colbergâ-Pomeranus.

CAPUT III.

De

JCTIS.

I. Eodem seculo admodum florere Juris Romani
 studia, Magistro maximo, *ÆMILIO PAPI-
 NIANO*, ætate *SEVERI & CARACALLÆ*; à quo ob
 improbatum parricidium Fratris *Getæ* occisus est;
 à *Spartiano Historico*, *Juris asylum*, *Doctrinæq; Thesau-
 rus* nuncupatus; tanti enim hujus Scripta post sunt æ-
 stimata, ut etiam in Scholis juridicis prælegerentur, &
 qui iis exercerentur, *PAPINIANISTARUM* appellationem
 acquirerent,

II. Prodierunt ex hujus Scholâ Doctissimi Disci-
 puli: *DOMITIUS ULPIANUS*, *JULIUS
 PAULUS*, *HERENNIUS MODESTINUS*,
 quorum omnium, ut & *PAPINIANI* scripta, aucto-
 ritate suâ approbarunt Imperatores *THEODOSIUS & VA-
 LENTINIANUS*, ut habetur in *Codice Theodosiano*. Imò ex
 eadem illa Papiniani Scholâ prodierunt: *POMPO-
 NIUS*, *HERMOGENES*, *ALFENUS JUNIOR*,
MÆCIANUS JUNIOR, & nonnulli alii, ex quo-
 rum Libris confutæ sunt *PANDECTÆ IUSTINIANÆ*.

III. *GALLIENO IMPERATORE*, floruit *GREGORIUS*
 ille, qui novo conatu, omnium Imperatorum ab *HA-
 DIANO* usque ad *VALERIANUM* rescripta & constitutio-
 nes, in unum collegit Volumen, quod *CODICIS GRE-
 GORIANI* nomine venit; ita dictum scilicet, tum à Col-
 lectore,

16.
17.
18.
20.
22.
24.
25.

SECVLI TERTII *Caput* III. IV. & V.

lectore, tum quòd Principum constitutiones chartâ maximâ & Regiâ, qualis erat Codicum, scriberentur. Verùm & illius Codicis non nisi memoria hodiè superest, & eorum, quos antea adduxi, Ictorum, omnia perierunt, præter paucula fragmenta à Doctissimis superioris seculi Viris collecta.

CAPUT. IV.

De

M E D I C I S.

DE Medicis hujus ætatis quod dicamus, ferè non habemus; neque enim ullus ex eo seculo artis medicæ Scriptor nunc exstat; Imò ne Nomina quidem medicorum ejus ætatis habemus, præter unius *ANTYLLI & POSIDONII*, quorum in Libris *ORIBASII, ÆTII & PAULI* per frequens fit mentio.

CAPUT. V.

De

P H I L O L O G I S.

I. **E**Adem ætas habuit *ALEXANDRO IMPERATORE* duos illos insignes *HISTORICOS, DIONEM CASSIUM & HERODIANUM*; *DIOCLETIANO* verò *CÆSARE, SPARTIANUM, LAMPADIUM, TREBELLIVM POLLIONEM, FLAVIVM VOPISCUM & JULIVM CAPITOLINUM*, illos *Historiæ Augustæ*, quæ appellatur, *Svetonii* Exemplo, scriptores.

II. SE-

II. SEVERO & CAIACALLA CÆSARIBUS floruit DIONYSIUS ille, qui versibus græcis terræ ambitum descripsit; Nec multò post doctissimus ille Poëta Græcus, OPPIANUS, cujus singulos versus singulis aureis remuneratus est ALEXANDER Cæsar; medium quoque hoc seculum habuit SERENUM SAMMONICUM, latino carmine insignem; finis verò, NEMESIANUM & CALPURNIUM SICULUM, utrumque Bucolicum Poëtam haud vulgarem; & rursum FESTUM AVIENUM, cujus hodieque Fabulæ Æsopicæ exstant.

III. RHETORUM nihil superest; HISTORIA tamen SOPHISTARUM seu RHETORUM ALEXANDRI circiter ætate, à PHILOSTRATO conscripta, in manibus est. CENSORINUS quoque, qui de *die natali* scripsit, sub DECIO vixit, quem tamen, quibus annumeres, incertum forte est. Floruit tùm quoque DIONYSIUS LONGINUS, cujus aureum Librum $\pi\epsilon\epsilon\delta$ $\psi\delta\varsigma$ cum Commentario TANAQUIL FABER edidit.

SECVLI IV.

CAPUT I.

De

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. Quarto quidem seculo, à persecutionibus Romanorum Imperatorum, liberata fuit Ecclesia,
ex

ex quo illi nomen suum dedit CONSTANTINUS M.; non tamen leviter concussa est ARIANA HÆRESI, quòd illa non amplius crassa & inficera esset, qualis antehac fuerat, sed speciem aliquam probabilitatis præ se ferret; longè tamen fuit Catholicorum Scriptorum, tum Eruditione, tum multitudine refertissimum.

II. Præterquam enim, quod duo CONCILIA UNIVERSALIA, NICENSEM contra ARIUM, & CONSTANTINOPOLITANUM contra MACEDONIUM, sint celebrata, floruerunt CONSTANTINO IMPERATORE: LACTANTIUS, lacteæ planè eloquentiæ Homo, & EUSEBIUS CÆSAREENSIS, Ecclesiasticâ imprimis Historiâ clarus, ac JUVENCUS, Poëta Evangelicus.

III. CONSTANTIO item imperante S. ATHANASIUS, Alexandrinus, & HILARIUS, Pictaviensis Gallus, Episcopi, duo Arianae Hæreseos mallei; Item VICTORINUS AFER, & LUCIFER CALARITANUS, in Sardinia Episcopus, ac GREGORIUS ÆTICUS, inferiores licet, cum eruditione, tum scribendi genere, vixerunt,

IV. THEODOSIO & VALENTE Imperatoribus, S. CYRILLUS, Hierosolymitanus Episcopus, Catecheseos Scriptor, & S. BASILIUS M. hujusque æqualis ac studiorum Socius, S. GREGORIUS NAZIANZENSIS; nec non DIDYMUS ALEXANDRINUS, oculis quidem captus, mente

te

te tamen perspicacissimâ, cujus hodieque Librum de Spiritu S. habemus; *FAUSTINUS* denique *DIACONUS*, cujus sunt *Libri VII. contra Arianos*, fuere.

V. Sub *GRATIANO* porrò ac *THEODOSIO* cum primis floruerunt; *S. EPIPHANIUS CYPRIUS*, Hæresium diligens recensitor; *S. AMBROSIIUS*, Mediolanensis Episcopus, item *GREGORIUS NYSENSIS*, *BASILII* frater; hujusque æquales, *AMPHILOCHIUS*, Iconii Episcopus, *PHILASTRIUS BRXIENSIS*, cujus est *de Hæresibus Libellus*, & *IDATIUS CLARUS*.

VI. Jam tum *THEODOSIO* Imperatore, usque in annum circiter sequentis seculi *XXII*, floruit *HIERONYMUS*, Doctissimus S. Scripturæ interpres, adeoque magnum Ecclesiæ Lumen. Paulò ante floruerat *OPTATUS MILEVITANUS*, Africæ Episcopus, cujus exstant *Libri contra Donatistas*. At Hieronymi æqualis, imò æmulus, & adversarius ex amico factus, fuit *RUFFINUS*, Presbyter Aquilejensis, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptor; quo planè tempore vixerunt *PALLADIUS*, *Historiæ Lausiacæ* Scriptor, *AURELIUS PRUDENTIUS*, Poëta insignis Christianus, *S. DIADOCHUS*, cujus est *de perfectione spirituali Libellus*, & *S. GAUDENTIUS BRIXIENSIS*. Sed imprimis Seculi hujus ultima illustravit, magnus ille Ecclesiæ Doctor, *S. JOHANNES*.

HANNES, ob elegantiam sermonis CHRYSOSTOMUS dictus.

CAPUT II.

De

PHILOSOPHIS.

I. Quarto seculo sectam illam PLOTINI, quæ quidem PLATONICA dicebatur, revera autem constabat, partim Platonice, partim Aristotelice, partim etiam Magicis Dogmatibus, CONSTANTINO M. Imperatore non leviter propagavit JAMBlichus Chalcidensis, PORPHYRII Auditor, cujus hodiè nonnulla superant. Jamblichum autem, multi audiverunt ejusdem notæ, florueruntque ætate JULIANI APOSTATÆ, quorum vitas descripsit EUNAPIUS, scripta autem dudum perierunt. Omnes enim illi magicæ Impietati dederunt operam, & Christianæ Religioni infensissimi fuerunt.

II. Apud VALENTEM Imperatorem Prætorio præfectus est THEMISTIUS, ob eloquentiam EUPHRADAS dictus, doctissimus Aristotelis Paraphrastes, atque magnæ auctoritatis. Reliquorum Philo-

SECVLI QVARTI CAPVT. III. *De Jctis.*

Philosophorum omnia interierunt, quare non est, ut illorum Memoriam refricemus.

CAPVT. III.

De

JCTIS.

SEculo hoc quarto Jctos haud paucos floruisse, extra dubium est; Neque enim frustra dixit AMELIUS: *Jurisprudentiam multorum Camelorum onus esse*; Tum verò, vel ex EUNAPIO constat, eo jam tempore Beryti Phœniciaë urbe, celeberrimam ROMANI JURIS SCHOLAM viguisse, adeò, ut & *mater illorum Studiorum* jam tum dici meruerit. Ex omni tamen illo numero, neminis memoria exstat, præter unius HERMOGENIS, qui CONSTANTINO IMPERATORE, omnes illorum, qui GALLIENUM secuti sunt, Cæsarum, Constitutiones in unum colligens volumen, ad Constantinum usque M. HERMOGENTANUM CODICEM, ab Auctore ita appellatum, confecit; id quod opus jam dudum cum Codice GREGORIANO interiit.

CAPVT. IV.

De

MEDICIS.

I. Col-

I. **C**olligere ex EUNAPIO licet, hâc tempestate non parùm floruisse artem medicam, & quidem præcipuè Alexandria, ZENONE CYPRIO Magistro, quem Juliani Cæsaris ætate adhuc floruisse constat ex *Epistolâ Cæsareâ ad Alexandrinos.*

II. Audiverunt autem eum eodem teste MAGNUS ANTIOCHENUS, IONICUS SARDIANUS, & ORIBASIUS, quem itidem SARDIANUM vulgò appellant, perperam tamen, cùm fuerit PERGAME-
NUS, nec nisi habitaverit Sardis, postquam Juliani A-
postatæ Medicus præcipuus, ac Consiliarius fuerat.

III. Etsi verò MAGNI Schola Medica tunc temporis valdè floruerit, & ex hujus item ut & IONICI scriptis multa adducat AETIUS, utriusque tamen hodiè omnia desiderantur, ORIBASII autem varia superant, ex GALENI præcipuè scriptis collecta; neque enim ille quicquam de suo arti addidisse videtur.

IV. Porro tanta tamen fuit fama ALEXANDRINÆ Medicorum SCHOLÆ, ut AMMIANO MARCELLINO teste, ad commendationem Medici tum suffecerit, vixisse Alexandria.

V. Comes seu præcipuus Archiatrorum apud VALENTINIANUM IMPERATOREM fuit hoc seculo VINDICIANUS, gloriosus ille Empiricus, cujus Libellum una cum aliis in suum transtulit MARCELLUS, qui & ipse vixit ætate THEODOSII M. EIUSQUE FILIORUM, sub finem seculi; multorum Medicamentorum Collector potiùs, quàm Medicus judicandus.

ADDITAMENTA

Declarando Auctoris Textui inservitura.

I. **V**erè non minùs ac eleganter, Ecclesiæ sub CONSTANTINO M. statum descripsit Lactantius, sub initium *L. de Mortibus Persecutorum* commentans: *Restitutâ per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursus exurgit, & majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordiâ Domini fabricatur. Excitavit enim Deus Principes, qui Tyrannorum nefaria & cruenta imperia resciderunt, humano generi providerunt, ut jam, quasi dissenso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jucunda & serena latificet. Nunc post tanta tempestatis violentos turbines, placidus æer, & optata Lux resulsit. Nunc placatus servorum suorum Deus, jacentes & afflictos cælesti auxilio sublevavit. Nunc mærentium lacrymas, extinctâ impiorum conspiratione, deterfit. Qui adversati erant Dec, jacent; qui templum sanctum everterant, ruinâ majore ceciderunt; qui justos excarnificaverant, cælestibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Distulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus posteri discerent, & Deum esse unum, & eundem mortem digna ultione superbis & impiis ac superioribus irrogare. Hinc quoque famæ CONSTANTINI M. hoc in passu detrahunt, non veritati modo Historicæ, sed ipsi Christianismo, dicam impudenter & impiè scribunt. v. Auctorem S. IV. C. I. n. 1.*

II. Ad Arcana divinæ Providentiæ specimina, cujus tamen, in naturalium causarum Scrutinio aliqua forsan reperire licet vestigia, PERSPICAX COECITAS pertinet, seu acies mentis extraordinaria, relucescens in iis, qui lumine oculorum sunt privati. Siftit exempli loco DIDYMU M. ALEXANDRINUM, ut grarus optimum præceptorem Discipulus, Hieronymus, in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, scribens: *quod captus à parvâ aetate (quinto nempe ætatis anno) oculis, ob id elementorum quoque ignarus*

16.
17.
18.
20.
22.
24.
25.

Additamenta declarando Auctoris Textui inservitura.


ignarus, tantum miraculum sui omnibus prebuerit, ut Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, usque ad perfectum didicerit; plura opera & nobilia conscripserit; — Commentarios in Psalmos omnes; Commentarios in Evangelium Matthæi & Johannis; & de dogmatibus, & contra Arianos Libros duos, & de Spiritu Sancto Librum unum. — In Esaiam tomos decem & octo; in Osee ad (Hieronymum) scribens, commentariorum Libros tres; & in Zachariam (Hieronymi) rogatu, Libros quinque; & infinita alia, quæ digerere proprii indicis est. Hinc rectè ipsum M. Antonius, cùm Alexandriam veniret, consolabatur: Nihil inquiens te moveat, ò Didyme, jactura corporalium oculorum; ejusmodi enim oculis orbatu es, quibus & musca & cutices videre possunt; Gaude potius, quod illos habeas, quibus Angeli vident, quibus Deus cernitur, & lux ejus comprehenditur. Collegimus exempla hujus commatis plura, cum modesto Divinæ, quæ hic latitat, Providentiæ scrutinio, sub titulo *Cæcitatæ perspicaciæ*, aliquando, si D. V. & occasio se nobis obtulerit, communicanda. V. Auctorem S. IV. C. I. n. 4.


III. Qui Magnus etat Ecclesiæ Doctor, HIERONYMUS, major foret, si in Controversiis cum RUFFINO, salutem Ecclesiæ studio partium prætulisset, præcipuè. cum in nimio Origenis æstimo, quod in Ruffino improbabat, ipsemet quoque, ut ut tectius, excefferit v. Auctorem S. IV. C. I. n. 6.

COROLLARIA PNEUMATICA.

- I. Deum non nisi unum esse, ex Naturâ sciri potest.
- II. Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate esse, ex Naturâ sciri non potest.
- III. De mysterio Trinitatis cùm Natura nihil scire possit, silet, ei tamen non contradicit.

S. D. G.







שהזכות תולה לה ר' אליעזר אומר כל ה
 כאלו למדה תפלות ר' יהושוע אומר ר
 תפלות מתשעה קבין פרישות הוא היה א
 ורשע ערום ואשה פרושה ומכות פרושי

Wagenseilio nostro interprete : *Dixit filius
 homo docere filiam Scripturam sacram , nam si
 ur (aquas amaras adulterii suspecta,) securus
 sacrarum literarum studium (ex merito aliquo
 præstiti , de quo antea actum fuerat ,) vim no-
 futuram. Contra R. Elieser ait : Quisquis filiam
 t , is eam docet amandi artem (ex sententia
 . Josua ait : Magis expetit mulier unum Cabum
 am novem Cabos vite solitaria. Idem ore fre-
 opius qui insipiens , improbus qui astutus , Mulier
 era Phariseorum , ecce ista sunt , que orbi in-*

Hæc celebris illa est de Fœminarum Eruditio-
 Eliesere quidem prolata , a R. Josua quoque con-
 od præcipuum est , a Magistris etiam per הלכה
 obata , de qua nunc pluribus erit dispiciendum ;
 ostrema verba , etsi primario huc non spectant ,
 itata , cæteris addere visum nobis fuit , ut ex fœ-
 cujus hic explicata facta est mentio , ac Vulne-
 m , quorum itidem Mischna meminit , ad læsionem
 וצנו להראות שהוא עניו וצנו in
 vultum simulatò demittentium atque aliorum
 ndo ad parietes declinantium , discas , nomen
 cui & fœminæ adhæserint , non officii , aut eru-
 , ut vulgus putat , titulum ; & intolerabili insuper
 occrifi , vel solo tactu aliorum se pollui creden-
 C tium

